MADAME,

A qui peut-on plus raiſonnablement preſenter vne queſtion de la Beauté, qu'à la plus belle du monde? Et qui l'a peut mieux decider que voſtre Excellence, dont le miroir eſt vn beau liure, qui l'entretient tous les iours d'vn ſujet ſi agreable? Ie ſouſtiens icy que la Beauté eſt vn effet de la Santé, & ie me confirme en cette opinion, quand ie conſidere que la voſtre, MADAME, *a eſté touſiours accompagnée d'vne Santé, qui n'a peu eſtre esbranlée que par vos auſteritez. Mais d'vn autre coſté peut-on croire qu'vn effect de la Santé puiſſe rendre tant de perſonnes malades? & que la Beauté ayt vne ſi bonne mere, pour produire vne ſi meſchante fille, comme eſt la Maladie. Toutefois dans le combat qui ſe fait de la Beauté, auec les cœurs, ce n'eſt pas merueille que la force de l'vne cauſe la foibleſſe des autres; & que plus elle eſt puiſſante, plus elle leur porte de mortelles bleſſeures. Mais,* MADAME, *la majeſté & la vertu qui accompagnent voſtre Beauté, n'impriment dans les ames que de l'admiration & du reſpect, & font voir que la plus grande Beauté de l'Vniuers, ſe fait adorer ſans bleſſer perſonne. Ie vays entrer,* MADAME, *en vn autre combat, pour ſouſtenir vne ſi belle cauſe, où ie ſuis aſſeuré que la protection de voſtre Excellence; ou pluſtoſt l'exemple ſeul de voſtre Beauté me doit rendre victorieux, s'il vous plaiſt honorer de voſtre faueur celuy qui eſt auec toute ſorte de ſubmiſſion & de reſpect,*

MADAME,

de voſtre EXCELLENCE,

Le tres-humble, & tres-obeiſſant ſeruiteur R. MERLET.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVIII. APRILIS.

M. PETRO LE CONTE Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne pulchritudo ſanitatis effectus? 891.

PVLCHRITVDO ex Archetypo in hominẽ dimanans tanto eſt ornamento vt prima naturæ corpus effingentis veluti illecebra ſit & ipſi tanquã ſcopus alter proponatur, quo totũ bellè ſe habet, ad animæ principis functiones, & vniuſcuiuſque partis εὐφυΐα ad inſitæ virtutis operationem præclarè componitur. Primùm ipſius rudimentũ miniſtrat partium omnium condecentia, cui perfectam ſpeciem afflat gratia ſermonis lepôre, animi moderatione & ſuaui colorum temperatione definienda; hæc vna eſt forma in omnium animis regnatura, & inuitis ſui amorem adſpiratura. Colore non vnico depingitur εὔχροια; humor quiuis ſed ſanguis maximè bilioſo aut melancholico admixtus ſpirituum copiâ illuſtratus vultum amabilem, colore roſeo, fuſco vel alio quolibet ſpectabilem reddit: huic perpoliendo tantùm natura incumbit vt vndiquaque ab excrementis & ſordibus veneres & ornamenta depromat; quem alioqui raptis auribus obtrunciſque naribus turpem & caput indecorum ſine crine reliquiſſet.

SVPERFLVVM eſt paria totis corporibus ſpecula exquirere cum globoſa capitis (propter oculos editi ac ſublimis) figura capax domicilium rationis & ſenſuum, omnem reliqui corporis vim, naturam, formamque contineat; ſingularum partium magnitudines, ſitus, ordines & interualla luculenter explicet: magna quidem eſt conſtánſque capitis & aliarum partium agnatio, ſed faciei cum animo longè maior: ea rationis eſt ſpeculum, morum interpres & ipſius animi ſedes in quam totus aliquandò videtur exire: quæq; muta licet, tamen vt ille ſanus aut æger, formoſus aut turpis diſertè loquitur: quod eſt forma in corpore id in animo ratio ſibi vendicat; vix pugnant ambæ ſed amant concordes eſſe. Ægyptij corpore ſcabro, maculoſo, animo ſunt vafro, doloſo; Scytharum in corpore deformitatem, in mente feritatem inuenies; nec præclara Romanorum ingenia, nec fortes Gallorum animos fœdis in corporibus reperies: illi ad alterutrum polum aut circulum æquinoctialem nati vix humanâ ſunt formâ; hi inter vtróſque medij præcipua humanitatis & vrbanitatis iura ſibi promerentur.

EXVLENT hinc pigmenta, fuci, cæteráque περιογράφων mangonia: vera naturaliſque pulchritudo nunquam labefactata conſpicitur magis, quàm vbi ficta & fucata quæritur. Si quæ lena ſui ad huius pulchritudinis ambitum mercurio faciem, ſtibio palpebras, minio labia inficiat; ipſa tandem ore fœdo ac fœtido, oculis (in quorum cæſio colore, loci æquabilitate, motus commoderatione gratia præ cæteris ſeruatur) lippis, carioſis dentibus, rugoſâ facie fiet. Si quem verò è ſuis cultoribus iuuenem incentiuus amor maximè terrenis humoribus, viſcerumque medullis faces admouendo ſuis faſcibus ſummiſit; ille flammâ cerebrum ſuperante quamprimùm rationis lumine (ſoli homini diuinitùs conceſſo) capitur, offuſis imaginationi tenebris aſſiduò expaueſcit propoſitiſque variis formæ commentis illuditur. Sapiens verò eâ ſolùm inceditur pulchritudine quæ à naturâ conceditur, quæque prudentis medici documentis recolitur, nec tam faciei picturam quàm eximiam indolem, corporis & animi functionibus æſtimandam perſequitur.

PVLCHRITVDINIS cuſtodia ſtatim ab incunabulis habenda iiſdem præceptis quæ ſeruandæ aut reſtaurandæ valetudini dicata ſunt. Nec natos modò ſed & naſcentes ad figuræ elegantiam ſuſcipere decet; atq; etiam naſcituris formæ ſemina ac fundamenta inſinuare: quæ teneris ab annis ſic ſeritur nunquam niſi parcè tenuitérque labefactatur, in eamque magna ſemper faciliſque propenſio eſt. Plura & maiora pulchritudinis principia fœmina quàm mas in pueros confert. quare ſui & ſpecioſæ prolis ſtudioſa mater phantaſiam εἰδωλοποιὸν formoſis tantùm imaginibus impleat: vacua & prægnans laboribus à ſeipſa ſuſceptis pluſquam cibis indulgeat; infantem temperatum ſolo lacte nutriat, calidiorem verò imbecilliori etiam panatellâ: in vlnis cuníſq; exercitari & vocis modulatione deliniri curet, atq; laſciuire nonnunquam grandiores permittat. Plurimùm aberrant à ſcopo molles & delicatæ, quæ totam fermè diem in incertâ die in lectis & cubiculis incluſo nec adſpirato ædium aëre victitant. Quod igitur Pariſiis plures ſint prauæ conformationis, nec pauci pueri calculoſi, hernioſi, non aëri, non aquis inſontibus, ſed parentum otio torpentium, aut ſola vectione exercitarum culpæ adſcribendum eſt.

SOLIS duntaxat ſanis licet eſſe formoſis, cùm ſanitatis & formæ non ſint diſtincta principia, non alia præcepta, idem cuſtos & inſtaurator, par omnino vtriúſque conditio. Hæc vt illa multiplex nec anguſtâ latitudine circunſcribitur, perfecta vt numen ab omnibus ſuſpicitur, imperfecta auerſos omnium tenet animos, media nec adſpicitur, nec deſpicitur. quare quæcumque ſpeciei amore flagrant ſanitati ſtudeant legitimo ſalubrium vſu, quo præclara omnium partium contemperatio procurabitur, vel admodùm dilapſa inſtaurabitur, indéque elegans figura conſequetur, & ſanguine purpureo ad cutim niueam effuſo ac erumpente facies ad eam perueniet εὔχροιαν quæ naſcentium in roſis & liliis colorum æmula omnium animos in ſui amorem ſimul & admirationem rapiet.

Eſt ergo pulchritudo ſanitatis effectus.



Proponebat Lutetiæ ROLANDVS MERLET Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XLI.